



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Pertinentes ad anteriores Theses  
defensas in Collegio Adriani Papae VI.**

**Huygens, Gommarus**

**[Lovanii], [1684?]**

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10960810-8**




Th. 2170.

G. IV

3.





PHILOSOPHIA MORALIS

TRACTATUS

APPENDIX

DE PROPOSITIONIBUS

DE PROPOSITIONIBUS

DE PROPOSITIONIBUS

DE PROPOSITIONIBUS



# THESES THEOLOGICÆ

Pertinentes ad anteriores Theses defensas in Collegio ADRIANI PAPÆ VI.

QUAS PRÆSIDE EX. VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS LYRANO,

In eodem Collegio defendet die 3. Martii anno 1684.

LAURENTIUS LAURENTI VERVIENSIS.

## PRO O E M I U M.

**C**um nuper Templorum, Scholarum, ac Collegiorum valvis affixus apparuerit hinc Thesium titulus: Anti-theses pro auctoritate Summorum Pontificum ad Theses varias Eximij D. G. HUYGENS; putavi officij mei esse, examinare num magnificentiæ istius tituli reliqua responderent. Porro lectis his Thesibus, vel, ut vocare amant, Anti-thesibus, deprehendi verum esse, quod ad primum tituli conspectum suspicatu fueram, nimirum Auctoris scopum esse duplicem: primum, ut imperitis persuadeat sese pro Summorum Pontificum Auctoritate, Me verò contra stare: Alterum, ut apud eosdem videatur objectionibus per varias Theses sibi factis satisfecisse, quia respondis saltem ad paucas inter tam multas. An vel ad illas rectè, dijudicet qui has nostras Theses leget; quibus commendij causâ non proferam doctrinam Anti-thesium, sed nostram tantum: eamq; talem in modum proponam ac stabiliam; ut, nisi mea me fallat opinio, clarè hinc visurus sit Lector, quod Anti-thesium Auctor nil minùs præstiterit, quam quod per magnificum suum titulum promisit.

## CONCLUSIO PRIMA.

Respondetur ad ea quæ in Anti-thesibus allegantur adversus doctrinam nostram de necessitate Gratia per se efficacia, & de libertate.

**P**ostquam pluribus Thesibus egeram pro doctrina gratia per se efficacia, ejusque ad quoslibet actus bonos necessitate; 27. Januarii 1684. posui hoc Impertinens: Sicut Liber continens aliquas Propositiones veras, & aliquas falsas, condemnari potest; ita Propositio copulativè affirmans sensum verum, & sensum falsum (ex. gr. hac, Deus non vult omnes homines salvos fieri) adeoque sicut potest liber condemnatus continere Propositionem veram, etiam potest Propositio condemnata habere sensum verum. Nullo proinde nituntur fundamento quæ Auctor Thesium defensorum Lovanii die 24. Novemb. profert, ac si omnis sensus Propositionis condemnata deberet esse condemnatus. Huic Impertinenti nunc responderet Anti-thesium Author; Egi de sensu proprio & legitimo, eo præsertim quem expressit Author, in cuius sensu damnata est Propositio .... Egi de Propositione damnata absolute, nullâ factâ distinctione inter sensum & sensum. His vicissim ego per hoc Impertinens, vel potius jam Pertinens respondeo: Sicut liber continens aliquas Propositiones veras, & aliquas falsas,

A

PRO



PROPRIÆ ET LEGITIMÆ sumptis, quæ AUTHOR LIBRI EXPRESSIT, condemnari potest ABSOLUTE, NULLA FACTA DISTINCTIONE INTER PROPOSITIONES ET PROPOSITIONES: ita Propositio copulativè affirmans sensum verum & sensum falsum, PROPRIUM SCILICET ET LEGITIMUM, QUEM EXPRESSIT AUTHOR IN CUIUS SENSU DAMNATA EST, potest damnari ABSOLUTE, NULLA FACTA DISTINCTIONE INTER SENSUM ET SENSUM. Ratio est, quia sicut ejusmodi liber æquivalere copulativæ affirmativæ, damnabili propter unam partem damnabilem: ita quoque Propositio jam descripta æquivalere copulativæ affirmativæ, damnabili propter unum sensum proprium & legitimum, quem Author in cuius sensu damnata est, expressit, damnabilem.

Etenim cum enunciatio copulativa affirmativa quamlibet suam partem affirmet, necessarium est ut falsa sit, si vel una pars sit falsa: adeoque damnari potest ob unam partem damnabilem, & hæretica nominari propter unicam partem hæreticam: ut proinde nihil ineptius, quàm ex eo quòd enunciatio copulativa affirmativa sit falsa, damnabilis, hæretica; dicere quamlibet ejus partem esse falsam, damnabilem, hæreticam. Hæc occasione eorum quæ Antitheses habent adversus supra relatam Impertinens à nobis positum die 27. hujus anni.

Nunc ostendendum perperam quoque in dictis Anti-thesibus culpari quod à nobis non semel dictum, reperiri qui gratiam ad ipsam libertatem requiri sentiant. *Nemo requirit, inquit Anti-theses, gratiam ad libertatem simpliciter.... Ad libertatem requisitam ad actus istiusmodi, Fidei, Spei, & Charitatis, omnes necessitatem gratia admittant necesse est.* His rursus respondeo, quòd non nemo requirat gratiam ad libertatem simpliciter, intelligendo per libertatem simpliciter, libertatem Theologicè, sive respectu eorum quæ ad Theologos spectant, consideratam. Siquidem Moynius famosus in Gallia Molinæ sectator postquam in ipsa Sorbona docuisset, " non committi peccatum, saltem propriè dictum, & imputabile ad culpam, sine libero voluntatis consensu. Antequam verò voluntas consentiat, inquit, vel in legem peccati, vel in legem Dei, hæc geruntur in anima: Hinc infunditur illi dilectionis aliquid à Deo, per quod inclinatur in rem quæ præcipitur: hinc sollicitatur in contrarium per rebellem concupiscentiæ motum: inspiratur ipsi à Deo notitia infirmitatis, notitia medici, desiderium sanitatis, affectus implorandi auxilii: si animus propter superbiam negligat orare, & ad medicum confugere, deferetur, & in peccatum ruet transgrediendo præceptum. Hæc omnia nisi in animo peragantur, actio non est verè peccatum, saltem imputabile ad culpam., Conformis est doctrina infamis illius *Apologia Casuistarum*, cujus Author quantumvis latere studeat, non potuit tamen, quæ pag. 38. sic habet: " Si perdit illi & perfecti peccatores careant omni lumine, & conscientia morsu dum blasphemant, & suis se dissolutionibus immergunt; si nullam habeant malitiæ notitiam, contendo cum Theologis omnibus eos non peccare actionibus istis, quæ magis propriæ sunt brutis quàm hominibus: sine libertate enim non est peccatum; ut autem adsit libertas vitandi peccatum, oportet adesse notitiam bonitatis & malitiæ quæ in objecto proposito continentur. "

Porro videri hinc Lector quomodò ad libertatem Theologicè consideratam Theologi isti tantà necessitate requirant gratiam, ut si perditissimi peccatores careant notitiâ infirmitatis, notitiâ medici, desiderio sanitatis, affectu implorandi auxilii, conscientia morsu, malitiæ notitiâ, adeoque gratiis actualibus; illorum actio non erit verè peccatum, saltem imputabile ad culpam, idque defectu libertatis. Hinc famosus ille Apologista perditissimos illos & perfectos peccatores dicit. idcirco non peccare in actionibus istis, quia magis propriæ sunt brutis quàm hominibus: & addit: sine libertate enim non est peccatum. Nec dubium, quin hanc suam sententiam defendi viderit ab aliis complurimis Theologiam secum profitentibus: dicit enim se contendere cum omnibus Theologis (quod verificandum in illis saltem, pro quibus Apologiam scribit) peccatores illos non peccare in actionibus istis. Possent

Poffem, fi foret operæ pretium, pro fententia requirente gratiam ad libertatem fimpliter, Theologicè nimirum confideratam, plures reperire Authores: verùm hic unus Apologifta, etfi apud me nullius, Authori tamen Anti-theſium procaldubiò non adeò parvæ eſt authoritatis: valeat ergò illi pro multis, qui pro ſe citat *omnes*. Priuſquam hinc digreſciamur, harum Theſium Lectorem monitum velim, ut expendat qualia ſint Corollaria quæ ex doctrina requirente gratiam ad libertatem deducuntur, non ſolum à nobis qui doctrinam illam prorsùs improbamus, ſed etiam ab ipſiſmet doctrinæ illius Authoribus ac Defenſoribus.

Nunc examinemus an corollaria ſimilia admittere non debeat, qui in ſuis Anti-theſibus dixit: *ad libertatem requiſitam ad actus iſtiusmodi, Fidei, ſpei, & Charitatis, omnes neceſſitatem gratiæ admittant neceſſe eſt*. Hinc namque conſectarium eſt, quòd mortalium ſceleſtiſſimi, actus fidei, ſpei, charitatis, & quòſcumque ſupernaturales omittendo, ultrà non peccent, modò Deum à ſua mente & corde ſuo ita excluſerint, ut ſint de numero illorum de quibus S. Auguſtinus pronuntiavit: *ſcimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*. Nam ſi ulli tales exiſtant, quòd Auguſtinus ſe ſcire aiebat, ſaltem illi tales ſunt. Hi ergo cum gratiâ careant, etiam carent juxta Anti-theſium Authorem libertate ad dictos actus ſupernaturales requiſitâ. Hoc verò Corollarium cum nullus ſanæ doctrinæ Theologus admittere poſſit, conſequenter oportet ut neget dictum antecedens ex quo neceſſariò ſequitur. Nihil proindè à veritate magis alienum quàm hæc aſſertio: *Ad libertatem requiſitam ad actus Fidei, ſpei, & Charitatis, omnes neceſſitatem gratiæ admittant neceſſe eſt*.

Quare non dubitamus contra aſſerere: *Ad libertatem requiſitam ad actus fidei, ſpei, & charitatis, nulli neceſſitatem gratiæ admittant neceſſe eſt*. Quid enim eſt libertas credendi, ſperandi, & amandi; niſi quædam potentia, ſive quoddam poſſe? Jam verò juxta S. Auguſtinum, & rationem manifefſtam, „ poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. „ De Præd. ſſ. c. 5. Objiciat nunc Author Antith. Auguſtino, prout mihi idem in hac parte aſſerenti, Concilium Arauſicanum II. item Tridentinum, quòd ſeſſ. 6. can. 3. ſic habet: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Puerilis ſanè objectio, cujus imbecillitatem ne ipſum quidem objicientem latere poſſe credo. Ut ergò etiam affectatæ ignorantiæ reſpondeam, Dico, voces *ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio*, afficere id cui propiùs conjunguntur, ſcilicet ipſum credere, ſperare, diligere, pœnitere; non verò id cui remotiùs conjunguntur, id eſt, ipſum poſſe; ut ſenſus ſit, fieri non poſſe ut homo ſine Spiritûs Sancti inſpiratione atque adjutorio credat, ſperet, diligat, aut pœniteat; non autem ut ſit ſenſus, quòd ſine Spiritûs Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio homo non habeat ipſam potentiam credendi, ſperandi, diligendi, aut pœnitendi. Habet enim ſine Dei adjutorio illam potentiam, ſicut homo ſine lumine habet viſivam, ſive viſum, etſi fieri non poſſit, ut ſine lumine videat. Nam potentiam credendi, ſperandi, &c. habet à natura, vel ut Aug. *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, natura eſt hominum*.

Facile foret oftendere quòd hæc omnia quæ dicuntur de Gratia requiſita ad libertatem theologicè confideratam, vel ad libertatem requiſitam ad actus fidei, ſpei, &c. proveniant ex ſæpiùs refutata, ac per nullam legitimam authoritatem ſtabilita definitione libertatis: *Poteſtas agendi & non agendi poſſitis omnibus ad agendum prærequiſitis*; quæ definitio, vel hòc titulò quòd ad ipſam libertatem arbitrii requirat gratiam, prorsùs rejicienda eſt: nam ſi eò ſenſu, quo volunt, admittatur; neceſſum eſt ut admittant, quòd ultrà liberum arbitrium non requiratur gratia ut quis credat, ſperet, diligat, aut pœniteat ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.

C O N-

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Author Anti-thesium injustè queritur quòd doctrinam suam de Opinione Probabili non rectè interpretatus sim.*

**A**nti-thesium Author in Thesisibus 12. Julii superiori anno defensis, Concl. 9. dixerat : „ Certum tenes & incertum dimittis, ubi conscientiam tibi formas ex opinione certò „ & practicè probabili, quæ nititur motivo secundùm se quidem fallibili, sed gravi, ex „ quali vir prudens & consideratus in rebus magni momenti concludere solet. Si vis hanc „ vocare moraliter certam, de nomine non litigabo : si vis probabiliorē dicere, non „ repugno : nam *sua cuique opinio est probabilior, aut verè probabilis non est.* Contra ve- „ ram, inquit idem, germanamque, ac practicam probabilitatem nihil solidi ex Scripturis, „ nihil ex Decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. nihil ex Patribus, aut antiquis Scho- „ lasticis affertur. „ Adversus posteriorem hanc doctrinæ istius partem sæpius in ternis „ nostris Thesisibus de 65. Propositionibus ostendimus quòd plures ex illis, etiam quæ cæ- „ teris sunt magis scandalosæ & in praxi magis perniciosæ, habuerint, eo tempore quo tales „ erant, illam quam Author iste vocat veram, germanamque & practicam probabilitatem. „ Præterea pluries in Thesisibus nostris promissimus, quòd illam hæcenus inauditam assertio- „ nem de verà, germanaque ac practicâ probabilitate quoad singulas partes destruere „ conabimur, ubi Author ille apertè dixerit quid ad veram, germanamque, & practicam „ suam probabilitatem requiri & sufficere sentiat.

Dum ad hæc responsum expectamus, tandem in Anti-thesisibus in defensionem doctrinæ suæ de opinione probabili allegat se non dixisse : *sua cuique opinio est probabilior* ; sed : *sua cuique opinio est probabilior, vel probabilis non est* ; me proindè, omisâ posteriori parte disjuncti, male exagitare solam priorem partem, quâsi simpliciter dictum fuisset : *sua cuique opinio est probabilior.* Sed inanis est ista querela : nam disjuncti illius hic est sensus : suam quisque opinionem habet ut probabiliorē, vel non habet ut probabilem. Nunc igitur subsumamus : atqui nullus non habet suam opinionem ut probabilem, ergo suam quisque opinionem habet ut probabiliorē, id est, *sua cuique opinio est probabilior* : Rectè proindè exagitavimus hanc propositionem, veluti ab Authore illo saltem implicite asser- tam, dicendo ex eâ confici, quòd sua cuique opinio non solum probabilior, sed etiam moraliter certa erit, & secunda morum regula, secundùm dicta ejusdem Authoris. Sed fortè dicet, sensum suum fuisse, quòd sua cuique opinio sit probabilior, vel *absolutè* probabilis non sit : verùm cum opinionem absolutè esse probabilem nullatenus inerat quòd sua opinio cuique sit probabilior ( nullam enim habent illa inter se connexionem ) non potest cum aliquâ veri specie dici, quòd ille sit istius assertionis sensus.

His perpensis verosimilius apparet quòd Anti-thesium Author idcirco maluerit dicere se malè intellectum esse, quia ei facilius erat sic respondere, quam satisfacere argumentis, quibus toties doctrinam ejus de vera, germanaque ac practica probabilitate, veluti confirmandam Propositiones scandalosâs, & in praxi perniciosâs, improbavimus. Sed ne rursus dicat me doctrinam suam non satis percepisse, iterùm iterùmque rogo, ut palàm edicere dignetur, quid ad *veram* suam, *germanamque, ac practicam probabilitatem* requiri & sufficere sentiat.

Hæc ad priorem Anti-thesium partem dicta sufficiant pro exercitio hujus hebdomadæ : reliqua in sequentem reservamus. Interim accipe hoc

### P E R T I N E N S.

**C**um Pueri ostendunt se nosse quod Lemures nocturni sint chimera, hi ultrà non accersuntur ad illorum terrorem : quorsùm igitur nunc iterùm repetitur hoc toties detectum Sophisma : Ita Lutherus : Ita Calvinus : &c. ergò malè : ergò hæreticè ?

LOVANII, Typis GUILIELMI STRYCKWANT.
















Theles  
Doctorū  
Academiae  
Lovan.

Th  
2170